

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Praelatvs regvlaris

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

suspenfus. 1. Si prædicat propositiones erroneas. 2. Si prædicat propositiones scandalosas. 3. Si prædicat propositiones hæreticas. Paulus 5. sub die 31. Aug. 1617. prohibuit, vt nullus in concione ad Populum, vel actibus publicis, hoc est, lectionibus, conclusionibus, disputationibus, teneat vel defendat opinionem D. Thomæ dicendo B. V. conceptam cum originali, idque propter scandalum fidelium. Ait tamen Pontifex, quod per hoc non intendit definire partem negantem: imo prohibet, ne in actibus publicis Prædicatores vel lectores dicant opinionem D. Thomæ esse peccaminosam vel hæreticam, sicut Sixtus 4. & Pius 5. decreuerant. Addit verò Paulus 5. atque iubet, quòd in publico opinionem D. Thomæ non impugnent, nec de illa aliquo modo agant siue tractent. Innotauit ea omnia sub finem anni præcedentis 1661. die 3. Dec. Alexander 7. Modernus Pont in Bullâ, quæ incipit: Sollicitudo omnium.

PRAELATVS REGV.

LARIS.

381. *Officiorum Regularium genera.*
 382. *Prelatura quid sit? 383. Quotuplex in Ordine Minor.*
 384. *Prelatorum dignitas.*

M m 4

385. De

385. De Commissariis. 386. De Custodibus.
 387. Prælatorum qualitates. 388. Potestas.
 389. Iurisdictionis & illius diuisio.
 390. Iurisdickio ordinaria quibus conueniat?
 391. Potestas Prælatorum quasi Episcopalis.
 392. Differentia Prælatorum maiorum. 393.
 Minorum siue localium. 394. Ho-
 rum dependentia.
 395. Prælatorum potestas dominatiua.
 396. Superiorum Ordinis Min. officia.
 397. Subditorum erga illos subiectio.
 398. Prælatorum cura circa temporalia.

ECC.
 LXXXI.
 Officiorū
 Regulari-
 um gene-
 ra.

381. **M** Vnia seu officia Religionum, generaliter loquendo ad tria genera reduci possunt; alia enim sunt Dignitates, alia Personatus siue Honores, alia quæ specialiter & propriè dicuntur Officia. Dignitas est officium habens Iurisdictionem in foro externo & rerum administrationem; Huiusmodi sunt in Religionibus Superiores habentes Iurisdictionem vel ordinariam, vt Generalis, Prouincialis &c. vel solum delegatam, vt Commissarij, Visitatores &c. Personatus est illorum, qui neque habent Iurisdictionem, neque administrationem rerum aliquarum, sed solum præcedentiam in Choro, dandis vocibus &c. tales sunt Definitores, ExProuinciales, Consultores Generalium &c. Officium est illius, qui

qui habet administrationem aliquarum rerum sine præminencia & Iurisdictione, vt esse Lectorem, Magistrum Nouiciorum, Prædicatorem, Confessarium, Sacristam, Ianitorem &c. Portel. *V. Officia Ordinis. in addit. n. 1. Lezan. 10. 2. c. 13. & 10. 4. V. Officia Religion. Sylu. &c.*

382. Prælatura propriè dicta est Dignitas Ecclesiastica, importans iurisdictionem ordinariam, cum administratione. Sic Abb. in c. Decernimus. de Iudic. in 6. quem sequitur Azor. p. 2. Instit. l. 3. c. 25. exinde dicens, In iure Prælatos propriè dici eos Religiosos, qui Monastici Conuentus seu Cœnobij totam curam & administrationem cum iurisdictione ordinaria habent. Dixi autem, Prælatura propriè dicta: Minùs enim propriè, secundùm eisdem & Barbos, de Appellat. tit. 215. n. 1. & 6. Prælati vocantur etiam illi, qui in Ecclesia sine iurisdictione prærogatiuam, & honorificum gradum habent. Item Rectores in Ecclesiis curam animarum habentes.

383. In Ordine Minorum nomine Prælatorum, primum locum obtinet Generalis, deinde Prouincialis, qui vni Prouinciæ: tum Guardianus, qui vni alicui Conuentui præest, qui quamuis in iure comparetur Parochis, habet tamen supra illos, quod sit verè Prælatus, iuxta Bull. 2. Sixti 5. de Illegit. &

Mm 5

Panorma,

CCC-

LXXXII.

Prælatura quid sit?

CCC-

LXXXIII.

Quotuplex sit Ordine Minorum?

Panorm. inc. vlt. de Regul. Lezan. 20. 1. qq. Reg. c. 18. n. 3. cum Rodrig. & Soar. extendit hoc etiam ad Vicarios, qui paruo alicui Cõuentui præ sunt immediatè subiecti Prouinciali vel Generali, vt sunt apud nos Capucinos, Superiores Hospitiorum; quia & hi verè Iurisdictionem habent ordinariam ad instar Guardiani, in subditos ac proinde delegabilem, vt ex c. in singulis. de statu Monach. ibi: Priorum Abbates Superiores non habentium. probat Peyr. de Pralato. q. 1. c. 4. §. 4. vbi & illos Vicarios hoc titulo decorat, qui ponuntur in Conuentibus loco Superioris defuncti vel priuati vel absentis ad longum tempus: quia habent eandem auctoritatem, quam illi tenent, in quorum loco ponuntur: Nam subrogatum sapit naturam illius in cuius locum succedit. c. Maiores. de Baptism.

CCC-
LXXXIV.
Pralato-
rum dig-
nitas.

384. Hi omnes igitur habent dignitatem Ecclesiasticam, id est, sunt Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, & proinde quoties in litteris Apostolicis, vel in Iure requiritur, vel committitur aliquid alicui Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut aliud aliquod Priuilegium seu facultas Prælatis Religiosorum conceditur, nisi aliud exprimat, vel Ordinis Cõstitutiones aut consuetudo ferat, id etiam
de

de Guardianis & cæteris debet intelligi. Idem est, quando in Bullis Pontificijs, contravenientes dicuntur priuati omnibus honoribus, gradibus, officijs & Dignitatibus. *Iuxta dicta V. Pœna Ecclesiastica.*

385. Videtur P. Sorbo. in *Comp. Priu. V. Dare. In Declarat. Bull. de largit. Mun. Et V. Ingredi Monast. ad Bull. Six. § Prælati* annumerare Commissarios quoque tam Generalium, quàm Prouincialium, Excludit è contra Urban. ab Ascens. *Theol. Mor. rr. 2. p. 2. dist. 2. c. 1. Reg. II.* quòd careant Iurisdictione ordinariâ Prælati debita, Cordub. in *d. Comp. Priu. V. Guardianus.* quem sequitur Portel. *V. Prælati.* id asserit de Commissarijs Generalibus, de alijs tacet. Litem videtur dirimere Baldus apud Gl. in *c. fin. de off. jud. ordin.* vbi cum quæsisset: *Utrum Commissio faciat quem Ordinarium seu Delegatum?* Respondit, *si Commissio perpetua, facit ordinarium; si autem temporalis, facit delegatum.* Cum igitur Commissarius est perpetuus, vt quidem apud Nos est Procurator Ordinis, & Commissarij Prouinciarum necdum Prouinciales habentium, qualis est Commissarius Hyberniz, vel qui loco Prouincialium defunctorum, priuatorum aut diu absentium Prouinciam regunt, ij meritò Prælati accensentur. Idem dixerim

CCC-
LXXXV.
De Com-
missarijs.

rim de his qui mittuntur à Generalibus ad visitandam aliquam Prouinciam seu causas expediendas: Cum enim Iurisdictione Delegati à Principe comparetur Iurisdictioni ordinarij, imò maiorem Iurisdictionem habeat quocunque ordinario, *e. Sanè. de off. Deleg.* eatenus etiam quicunque Commissarius à Generali, tanquàm Religionis Principe supremo, etiam temporaliter institutus duntaxat, meritò inter Prælatos habendus est.

CCC-
LXXXVI.
*De Custodi-
dibus.*

386. De Custodibus. quos Cordub. l. c. Prælati etiam annumerat, cum distinctione quoque loquitur Portel *vbi supra*, illos vocans Prælatos, qui sub se habent Cõuentus & Guardianos, quos possint vocare ad Capitulum, secus autem, eos qui mittuntur ad Capitula Generalia. De Custodibus nostris, qui casu tantum aliquo graui & urgente in suis Custodijs cõtingente, quando Ministri Prouincialis præsentia haberi nequit, curam habent rei occurrenti consulere & prospicere, hæc in parte idem videtur dicendum quod paulo ante de Vicarijs diximus, *in fine n. 383.* eatenus scilicet solum esse Prælatos, quatenus in vicem Prouincialium potiori tempore absentium, perpetuam commissionem habent. Cum porò ultra hoc ex Priuilegio Clem. 4. *de quo V. Custos.*

V. Custos. n. 121. curam quoque animarum sibi subditorum ex officio, adedque ordinariam habeant, à numero Prælatorum excludendi non sunt, vnde & N. P. Sigism. de Elect. dub. 104. nomine *Prælatorum*, quoscunq; *Custodes* intelligit, qui præsunt cuidam certo ac determinato Guardianorum numero.

CCC.

387. *Conditiones Prælato necessarias* LXXXVII. recenset S. Bonavent. in op. Apolog. in eos *Prælatorum* qui *Ordini Min.* aduersantur. q. 5. seqq. Requiritur, ait, 1. In *Prælato* *aratis maturitas*, *qualitas* 2. *honesti admodum Personalitas*. 3. *Vite irreprehensibilitas*. 4. *quòd non sit Idiota in litterarum scientia*. 5. *quòd sit discretus, & prouidus ex naturali industria*. 6. *quòd sit zelator iustitie & ordinis disciplina*. 7. *quòd sit tractabilis per mansuetudinis lenitatem*. 8. *quòd sit compassiuus pietate fraterna*. 9. *quòd sit deuotus habens orationis vsu & fiducialiter agens cum Deo, ex gustu interna dulcedinis eius & experimento crebro exauditionis*. 10. *qui semper in officio esse se doleat, & tamen cum ad hoc compellitur, equanimiter illud ferat, nec propter hoc vt citius absoluat ab officio, negligentius in eo se gerat*. 11. *quòd corporis imbecillitate à communis vita obseruantia non omnino impediatur, &c.* quæ omnia singulari tractatu de 6. alis Seraph. non minùs deuotè, quàm doctè

doctè fufiori ftvlo explanat. Prælati Proprietates à Seraph. N. Patriarchà requisiti, videtis p. 1. Chron. l. 2. c. 13.

CCC-
LXXX-
VIII.

Potestas.
Domestica.

388. In Prælatis duplex reperitur Potestas, Dominativa scilicet: seu *œconomica* vel *domestica*; deinde *politica* seu *Iurisdictionis*. Prior manat radicaliter à voluntate eorū, qui Religionē professi sunt, & illi se tradiderunt cū promissione & obligatione obediendi secundam Regulam talis Religionis, suis Prælatis, qui proinde ius habent imperandi eis, eorumque operibus vtendi, prout conueniens iudicauerint; & consequēter etiam coërcendi subditos, & puniendi pœnâ regulari & moderatâ, quæ ad ordinarium Regimen vnius familiæ sufficiat.

Politica,
seu juris-
dictionis.

Altera potestas est spiritualis, pertinens ad clauēs Ecclesiæ à Christo Domino tradita vel deriuata, medio eius Vicario S. Pontifice vel alijs Episcopis in Prælatos Regulares. Hæc propriè constituit Prælatum Regularem, quâ cum careant Abbatissæ, nec verè Prælatæ sunt, nec habent Iurisdictionem adinstar Prælatorum, quamuis habeant potestatem aliquam Maternam, domesticam & ciuilem, qualem habet Materfamilias in filios, & Magistratus in ciues, ac proinde possint suis Monialibus præcipere; & earum præcepta obligabunt illas iuxta qualita-

qualitatem rei, quæ si sit grauis, obligabit sub mortali; si sit leuis, sub veniali. De cætero semper habent Prælatum aliquem, qui propriam jurisdictionem in omnes illas, etiam in Abbatissam exercent; vel Episcopum in Monasterijs illi subiectis, vel Prouinciale aut aliū Prælaturū illius religionis virorum, cuius membrū tale Monasteriū existit. Soar. 10. 3. de Relig. 27. 7. l. 2. c. 18.

389. Potestas hæc jurisdictionis, licet secundum adæquatam rationem vna sit, tamen in ordine ad varios actus tanquam multiplex concipitur; sic enim distingui solet 1. in *voluntariam*, quæ in foro conscientiæ potissimum, & non *voluntariam* seu *contentiosam*, quæ in foro exercetur externo inter contradictores, vnde & nomen accepit, quia actor contendit contra reum. *Voluntaria* verò solum in subditos volentes & non contententes cum aliquo; huius actus sunt, absolutio Sacramentalis, dispensatio voti, irregularitatis & similia, quæ sine contentione & citatione juridica exercentur.

2. Diuiditur in *Directiuam* & *coactiuam*. Ad *Directiuam* spectat leges condere, præcepta statuere, præcipere, prohibere &c. Ad *Coactiuam*, visitare, iudicare, condemnare vel absoluere, punire &c.

3. Diuiditur in *Ordinariã* & *Delegatam*, Ordina-

CCC-
LXXXIX.
*Iurisdictio-
nis diui-
so.*
Voluntaria
& *Con-
tentiosa.*

Directiua
& *coacti-
ua.*

*Ordina-
ria* & *De-
legata.*

Ordinaria est, quæ ex natiuo, non datiuo nomine prouenit, siue quæ alicui ex dignitate aut ex officio iurisdictionem annexam habente conuenit. Delegata uero, quæ non ex proprio ac natiuo iure, sed ex alterius mandato ac commissione manat, quando scilicet aliquis Prelatus habens potestatem ordinariam concedit alicui suam auctoritatem aliquid faciendi in particulari, vel in communi, ad certum genus causarum. Habens iurisdictionem ordinariam potest illam tanquàm rem propriam & suam committere cui & quando uoluerit. *c. Inter cætera. de off. Ordin.* Nisi tamen impediatur à Superiori Maiori, qui potestatem etiam ordinariam dare potest alteri, vel limitatam ad certas personas vel loca, vel omninò indeterminate ad omnes; vnde sic limitata non potest ulterius extendi, quàm se extendat conferentis intentio: quo pacto Parochi iurisdictionem suam alteri Sacerdoti, etiam Religioso committere nequeunt, nisi priùs approbatus ille fuerit ab Episcopo, tali cõditione sic modò requisitâ à Trident. Habens potestatem Delegatam, cum illam possideat tanquàm rem alienâ, cuius usum duntaxat habet, sicuti qui rem temporalem solo titulo commodati vel depositi possidet, eam donare alteri nequit vel ampliùs delegare,

gare, nisi hoc expressè illi concedatur vel à Delegante, vel ipso jure, quod subdelegandi potestatem tribuit in duplici casu, 1. cùm Delegatus est à Supremo Principe, v. g. Papà pro rebus vtriusque fori. 2. cùm à quolibet Ordinatio ad vniuersitatem causarum est deputatus, v. g. Vicarius ab Episcopo missus ad visitandam suo nomine Dioccesin vel eius partem, tunc siquidè possunt eiusmodi Delegati vnam & alteram causam particularem etiã alteri peragendam committere. Harum defectu Religiosi, licet à Papa delegatam potestatem acceperint audiendi confessionem quorumcunque fideium, eam tamen vltèrius subdelegare non valent, cùm nec ad vniuersitatem causarum deputati sint, nec ad res vtriusque fori, sed pro foro conscientia tantùm simplex & nudum ministerium acceperint, quod proinde per seipfos exequi debent, alteri autem neque licitè neque validè committere possunt. *Vrban. ab Asc Theol. Moral. tr. 2. c. 2. CCCCX.*

390. Iurisdictio siue potestas ordinaria in primo & supremo ordine residet Diuino Iure in S. Pontifice, qui habet illam immediatè à Christo Domino in omnes Orbis Christiani fideles, iuxta illud dictum Petro *Matth. 10. Quaecunq; solueris super terram, &c.* Supposità legitimâ illius à Cardinalibus fa-

*Iurisdic-
tio ordi-
naria
quibus
competat.*

Nn

Qa

Et electione. c. In nomine. d. 23. Et c. *Cum
ita per mundum. 9. q. 3.* Mediante Papâ eandem
habent Episcopi ab eodem Christo D.
participatam in suos duntaxat Diocesanos,
licet sint de jure diuino ordinati & conse-
crati, mediato scilicet, non autem imme-
diato; vnde & potest eandem illis Papa re-
stringere, sicut de facto limitauit in pluri-
bus, prout dictum V. *Dispensare. n. 159.* Simi-
liter Parochi in suas oues mediatè partici-
pant Iurisdictionem ordinariam vel à Papa
vel ab Episcopo, prout titulum beneficij ab
alterutro sortiti sunt.

CCCXCI.

*Prelatorum
Potestas
quasi Epi-
scopalis.*

391. Erant antiquitus Religiosorum
Superiores vt plurimum merè Laici, atque
idcirco Iurisdictionis spiritualis incapaces
solâ tunc Dominatiuâ potestate votum obe-
dientiæ consequente, gubernabant; sed
postea facti ordinariè Clerici, capacitatem
etiam iurisdictionis adepti sunt instar Pa-
rochorum subiecti Episcopis; successu autem
temporis, secundum aliquam paritatem,
potestatis Episcopalis communicationem,
actum & exercitium adepti sunt donatio-
nibus Summorum Pontificum, qui quòd
conuenientiore hunc fore gubernandi
modum tranquilliore & faciliore iudi-
carent, magis, magisque se liberales in hac
parte præbuerunt, quousque vniuersos præ-
nd

ne Religioſorum Ordines ab Epiſcoporum ſubiectione penitus eximerent, prout latius de hoc dictum eſt V. Exemptio. aded vt ſicut Epiſcopi tanquam Paſtores proprii in Diœceſibus reſpectiuè, ita & Prælati Regulares, non ſolum Maiores, vti ſunt Generalis & Prouinciales, verùm etiam Locales in vtroque foro ſibi ſubditos iudicandi poteſtatem habeant, quæ proinde quaſi Epiſcopalis, communiter appellatur, duplici de cauſa, vt aduertit Soar. 10. 3. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 2. n. 14. & ex eo Urban. ab Aſcens. Theol. Mor. tr. 2. p. 2. diſt. 2. c. 1. Reg. 12. & 13.

1. Quia eſt in Non-Epiſcopo. 2. quia cùm in Epiſcopis ſit latiffima, in Prælatis eſt limitata, quia nimirum in his non ſe extendit ad omnes actus etiam puræ iuriſdictionis, quos Epiſcopalis iuriſdictione poteſt elidere. Sicuti nec ipſi Prælati eadem potiuntur æqualiter, ſiue quoad Perſonas, ſiue quoad loca, ſeu territoria. Nam Prælatus inſimus ſolum in ſuum Monasterium & perſonas eius iuriſdictionem habet. Medius ſeu Prouincialis tantùm in perſonas ſeu Monasteria ſuæ Prouinciæ; Generalis in omnes perſonas & loca Religionis. Nonnulli ſeparatum omnino habent territorium, quod dicitur eſſe nullius Diœceſis, ita vt nec in Diœceſi, nec de Diœceſi alterius ſint,

Nn 2

ſed

sed propriam Diœcesin per se teneant, respectu cuius ipsi quoque Diœcesani vocantur, quibus ea omnia competunt, quæ possunt competere Episcopo in sua Diœcesi, præter ea quæ sunt Ordinis. P. Sigism. de Elect. dub. 49. n. 1. & 4. Alij verò territorium segregatum non habent, sed sunt in Diœcesi alterius vt Exempti, quorum loca licet de Diœcesi non sint propter Priuilegium Exemptionis, quâ liberi sunt à subiectione Episcoporum, in Diœcesi tamen sunt quoad situationem ac denominationem: ratione cuius, ipsi tales Exempti Episcopum tanquam caput & principalem Pastorem in sua Diœcesi agnoscere colereque debent, qui licet exercitio excludatur, vniuersalem tamen jurisdictionem saltem habitu in illos habet, quam & actu exercere in multis casibus valebit. De quibus V. Exemptio.

CCCXCII. 392. Comparando porrò Prelatos eiusmodi inter se ipsos, quo vniuersalior est potestas in Prelatis Maioribus, ita & Maiores ac plures actus exercere possunt, tam circâ personas, quàm circâ loca, eo modo quo capacia sunt. Nam Prouincialis potest exercere actum mutandi Religiosum ab vna domo in aliam, quod Guardianus facere nõ potest. Et Generalis ab vna Prouincia in aliam, quod Prouincialis nequit, Circâ do-

mum

num etiam vel bona Monasterij multa fieri possunt cum licentia Prouincialis, quæ sine illa non possent. Minor est etiam in inferioribus Prælatis Iurisdiction, quoniam tam in esse, quàm *conseruari & operari* dependet à jurisdictione Superiorum. *In esse* quidem, quia Superiores vel creant absolutè inferiores, vt, penes nos Capucinos, Prouincialis cum Definitione Guardianos; vel creatos confirmant, vt Generalis Prouinciales. *In conseruando* etiam, nā licet Superiores non possint sine iusta & rationabili causa mutare vel spoliare Prælatos inferiores, qui ad tales Prælaturas per viam electionis assumuntur; id tamen possunt etiam sine causa, quomodocunque & quandocunque placuerit, qui prouidentur à suis Generalibus vel Definitorijs. P. Sigism. *de Elect. dub. 47.* *In operari* demùm dependet Iurisdiction inferioris à superiori, i. quia si superior præcipiat inferiori, vt in hac vel illa re non se intromittat, tenetur illi obedire, supposito, nullam turpitudinem in eo includi. Deinde potest Prælatus maior præcipere subditis, ne in hac re vel illa pareant inferioribus Prælatis. Denique hoc modo potest supremus Prælatus reseruare sibi absolutionem à tali culpa, iudicium in tali causa, vel talem dispensationem, aut etiam subiectionem talis

Na 3 personæ

personæ & similia: & idem suo modo potest Prælatus medius circa infimum.

CCC-
XCIII.
*Minorum
sive Loca-
lium.*

393. Dignoscit etiam P. Sigism. cit. d. 114. potestatis discrimen in ipsis Prælatibus localibus, quorum qui eliguntur à suo Collegio, gaudeant jurisdictione ordinariâ jure communi eisdem concessâ, necnon & omnibus Privilegijs, modò his renunciâtum non sit in Capitulo Generali illius talis Religionis per consensum omnium Religiosorum saltem mediâtè id est, mediantibus Prælatibus, Discretis, &c. qui nomine omnium & singulorum de ordine intersunt ipsi capitulo Qui verò aliter quàm per electionem instituantur, nullam aliam auctoritatem habeant, in sibi subditos, quàm eis tribuantur statuta suæ Religionis, quæ cum varia sint non solum in distinctis Religionibus, verùm etiam in vno & eodem ordine respectu talium vel talium Prælatorum localium, variam quoque esse eorundem jurisdictionem, vnde v. g. minori potestate gaudent Guardiani Capucinatorum, quàm Guardiani de Observantia seu Conventuales, exempli causa, Guardiani Capucinatorum nequeunt sibi reseruare casus, vel à reseruatis absolute in Comp. V. Absolutio Ord. quoad FF. n. 17. & 37. quod tamen poterunt Guardiani al-

terius

terius Congregationis Franciscanæ, & sic in alijs multa possunt alij, quæ nostris Guardianis vetita & restricta sunt.

394. Quæres, an huiusmodi restrictiones requirant causam iustam, vel possint pro solo arbitrio maioris Prælati fieri? *Re.* Restrictionem sine causa factam fore validam, non licitam. Ratio est, quia vnusquisque Prælatus habet aliquod jus in re, quoad jurisdictionem suam ordinariam, non ergo potest licitè illo privari sine causa. Quod autem valida foret talis restrictio, probatur, quia nulla est lex positiva, quæ huiusmodi factum irritet, neque ex sola natura rei censerì potest nulla, quia multa sunt illicitè, quæ facta tenent. *Soar. cit. n. 24. Id ipsum n. 26.* extendens, quando Superior Prælatus quemlibet sibi inferiorem suo officio privat, quòd eadem sit ratio totius & partis in his, quæ similia, quare si ablatio partis jurisdictionis valida erit, etiam totius ablatio valida erit. Quæ quidem, ait *Lezan. 10. 1. 99. Reg. 1. 18. n. 87.* stando in jure communi probabilia sunt, secundùm tamen peculiare leges & consuetudines Religionũ, ad illas pertinet iudicare, quid fieri vel non fieri in casibus similibus possit. *P. Sigism. cum cit. superius dub. 47.* asseruisset etiam sine causa posse mutari vel etiam penitus spoliari

CCC.
XCIV.
Horum
dependentiã.

liari officio, qui prouidentur à suis Generalibus seu Definitorijs, exceptit ibidè casum pendentis accusationis vel inquisitionis. Dū enim Superior cœpit accusationem vel inquisitionem contra subditum ad effectum spoliandi eum beneficio, tunc ipsa spoliatio superueniens non considerabitur vt jus simplex & imperium in subditum, sed vt pœna illius delicti, quæ nisi probato delicto imponi non potest. Esto autem extrâ hunc casum possit inferior talis Prælati ad libitum etiam officio suo spoliari, atque aded multò magis potestas illius restringi, vel eius exercitium & vsus suspendi, &c. quàm tamen hoc sit incōueniens, notabili doctrinâ pandit Portel. in Dub. Reg. V. Prælati, in addit. n. 8. vbi: *In nostris, inquit, Statutis Generalibus Barcinonensibus Toleti reformatis. tit de Officijs. præcipitur Prælati Superioribus ne se conturbent ad inuicem in executione suorum munerum seu officiorum, sed potius Superiores adiuuent inferiores in suis officijs, non illos impediendo, neque se in illis ingerendo; quin potius, quantum inferiores suis officijs priuati non fuerint, eisdem faueant in omnibus. Nam dato contrario sequentur multa perturbaciones & inconuenientia. Sic enim postulat suavis gubernatio Ecclesie. Imò & gubernatio Orbis; nam primum Mobile Cælorum, licet suo motu secum*

rapiaz

rapiat inferiores orbes, non tamen impedit, quin vnusquisque orbis inferior suum particularem motum seu cursum peragat, & suos particulares emittat in terram influentias. Vnde concluditur non posse ad libitum Generalem, inuito saltem Prouinciali, neque istum inuito Pralato locali, causam coram illis moram auocare, nisi ob grauem & iustā causam, consuetudine vel lege permissam, aliās prædicti Superiores iniuriam faciunt inferioribus, ac proinde peccant. Sic ille.

395. Circa Potestatem Dominatiuam sciendum, quod sicuti variæ sunt in diuersis Religionibus Constitutiones, Consuetudines & Regulæ, ita potestas præcipiendi & obligatio obtemperandi ad plura quoque vel pauciora extenditur; apud nos quidem Minoritas latissimè, nam in Regula nostra S. P. Francisci 6. 10. præcipitur, vt fratres obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria anima suæ & Regulæ. Prælatis è contra incumbit cura Subditorum in necessitatibus tam corporalibus quàm spiritualibus. Inde enim vocantur in eadem Regula. *ibid.* Ministri & serui aliorum fratrum, Ministri in spiritualibus, & Serui in temporalibus, ait S. Bonau. prout & S. Greg. relatus in c. Petrus Diaconus d. 39. talem vult in Regiminis arce constitui, qui non solum de salute animarum,

CCC-
XCV.

Pralatorum
Potestas
Dominatiua.

Nn 5

verum

verum etiam de extrinseca subiectorum utilitate sciat esse sollicitus. Tanto autem magis curam habere debet spiritualium, quam corporalium, quantum anima corpore præstat. Et tantum quidem, ait Peyr. de Pralat. q. 1. c. 5. n. 63. post Sanch. & Nald. commendata est Pralatis cura animarum sibi subditarum, quod si permittat passim violari Regulas sui Ordinis, ad culpam tantum venialem, obligantes, propter pigritiam, ne scilicet quietem suam turbet, vel aliam quamcunque causam, mortaliter peccet. Quia cum teneatur pro viribus progressum suæ Religionis procurare, & ex hac frequenti transgressione non modicum patiatur detrimentum Religio, hoc detrimentum ipsi Pralato tanquam Custodi imputatur, & cum graue sit, grauem inducit culpam.

CCC.
XCVI.
Superiorū
Ordinis
Minor. of-
ficia.

396. Specialius autem loquendo de Superioribus Minoritanis, ij quatuor munia seu officia, sub præcepto tenentur impendere suis subditis, quæ etiam gradatim numerantur in Reg. 6. c. 10. nimirum: visitare, monere, corrigere, præcipere. Visitatio actum dicit vigilantia & cognitionis, ut scilicet cognoscant oves suas, & qualiter cum eis agatur, iuxta illud Prou. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Et Eccl. 7. Pecora tibi sunt, attende illis: filij tibi sunt, erudi illos. Itaque visitare, nihil aliud est,

est, quàm super grege sibi commisso, solerter inuigilare, ne quid aduersi illi contingat, quod proindè non solum Prouincialibus aut Generalibus, verùm etiam Guardianis incumbere tradit P. Cypr. *lect. 1. in d. e. Reg.* cùm & isti oves sibi commissas habeant. Neque solum id indicat visitationem publicam & iudicialem, sed Paternam ac fraternam curam quam Superior adhibere tenetur. *Monitio* visitationem sequitur, & dicit sollicitam exhortationem, qua fratres à malis auertuntur, & ad bona incitantur: Dicit etiam verbalem correptionem, pro ijs qui secretò peccauerunt, vel qui in imminente periculo peccãdi versantur. *Monitionem* sequitur *Correctio*, quæ, non secutâ per monitionem emendâ, iuxta qualitatem delicti infligitur: Cui duas qualitates adscribitur: *Regula*, vt nimirum: *Humiliter & charitative* fiat. *Humilitas* autem excludit fastum, & austeritatem corrigentis; *Charitas* excludit vehementiã passionis & animi acerbicatem, siue (vt ait Hugo de Dina) *Humilitas in verbis, Charitas in affectu commendatur.* His tribus additur *officium Directionis*, quod fit per præcepta & prohibitiones congruas & legitimas intrâ terminos licitæ & vtilis fugæ aut operationis: *non præcipiendo eis (inquit) aliquid, quod sit contrâ animam suam*

suam & Regulam nostram: Illud verò censetur iuxta quatuor Magistros, *contrà animã*, non solum quod peccatum est, sed etiam quod est incentium & proximum peccato: sine quocumque aliquo modo inducit, vel est occasio peccati. *Contrà Regulam* verò dicitur, quod est *contrà vota & præcepta Regulæ*, vel illis aliquo modo necessaria, ut sunt Ordinationes & Statuta ad illorum puriorem obseruantiam ordinata. P. Marchant. *In fund. 12. Ord. FF. Min. tit. 5. c. 10. in Princ.*

CCC.
XCVII.

Subdicatorum erga alios subiectos.

397. Quàm verò vicissim ad mandata Superiorum prompti esse debeant FF. Minores, exponit S. Bonau. *in c. 1. Reg.* vbi describens obedientiam FF. Minorum, reducit illam ad abnegationem supremam: *que propriam (ait) exponit vitam pro gloria Conditoris. Ut in omnibus etiam indifferentibus subsint beneplacitis Superiorum; nullum habeant patrocinium loci stabilis vel Regionis, ad quam eorum obedientia contrahatur; nihil sibi obediencialiter impositum repellant quasi transcendens suam Regulam, nisi vergat in animam suam detrimentum: quantumcunque difficilia sint &*

CCC.
XCVIII.

Prelatorum cura circa temporalia.

ardua: illius exemplo, qui factus est obediens vsque ad mortem, &c.

398. Quoniam dicto modo cura temporalium etiam necessitatum sibi Subditorum

rum Prælatis commendata est, præter Personas, temporalium quoque rerum seu bonorum dispensatio committitur, non ut ea pro libitu disponant ut Dominus (Prælatus enim præsertim Minoritanus ob votum paupertatis arctissimæ capax non est Dominij) sed iuxta Regulam sibi præscriptam, in illos usus, in quos destinata sunt, tanquam dispensatores fideles administrent atque distribuunt. In grauioribus Prælati inferiores tenentur semper Prouincialem aut alium Superiorem maiorem consulere, si tempus & rei necessitas ferunt, aliàs recurrere debent ad præsumptam voluntatem vel maioris Prælati vel ipsius Religionis, quia nunquam expendunt ut Domini, sed ut Ministri. Ex quo fit, ut in Donationibus merè prophanis, id est, non Pijs, neque vlllo iusto titulo debitis, & à fortiori in turpibus, nunquam potest præsumi talis voluntas, ideoque & iniquæ sunt & inualidæ. *arg. c. fraternitatem. de Donat.* In alijs verò quæ habent rationabilem causam particulares circumstantiæ considerandæ sunt, nempe consuetudo & rei quãtitas, ad iudicandum an sit licita donatio. *c. Caterum. de Donat.* Et Nau. *comm. 2. de Reg. n. 26. & comm. 3. n. 27.* Pro quo videantur ex nostris P. Politius *in c. 6. Reg. n. 26. P. Sanctes. Ibid. vers.*

HORA

Horabifogna. P. Sorbo in Comp. Priu. ad V. Dare. In declaratione Bullæ Clem. 8. de largit. munerum.

Quid in specie possint nostri Prælati tam Prouinciales quàm Guardiani sive potestate Dominatiuâ sive Iurisdictionis, in foro interno vel externo, videre licet in proprijs titulis *V. Prouincialis. V. Guardianus. Item V. Absolutio. V. Dispensare. V. Index. Et aliâs serè per singulos ritulos.*

De Regimine Prælatorum Regularium, ex nostris non ita pridem scripserunt ex instituto Reuerendissimus P. Ioannes à Montecalerio Minister antehac Generalis & R. P. Iacobus Raggius Ianuensis, ille Italico, hic Latino Idioma re contra factiones præcipuè, causam potissimam Ruinæ Status Religiosi; cuius originem, mala, & remedia sagaciter inquirit. Quanti proinde referat Patres Ordinis esse vnanimes in promouendo Bonum commune Religionis, singulariter demonstrat p. 1. dub. 4. Siquidem, sicut vnitis Parribus Prouinciali scilicet ac Desinitoribus seu Consultoribus, eadem transfunditur vnio in subditos, ita eisdem disunctis ac diuisis tota distrabitur Prouincia in factiones ac seditiones. Quam debeant solerter administrare Iustitiam, in electionibus, distributione officiorum, puniendis criminibus, præca-

præcauendis dissensionibus, &c. toto volumine, speciatim de munere singulorum, Generalis, Definitorum, Guardianorum, Discretorum, &c. Dubiorum centuria 2. per 16, tractatus.

PRIVILEGIUM.

399. *Priuilegium quid sit?* 400. *Quotuplex?*
 401. *Priuilegij scripti diuisio ac differentia.* 402. *Priuilegiorum communicatio.* Bulla Leon. 10. 403. *Iulij 2.*
 404. *Priuilegiorum confirmatio.*
 405. *Communicatio Priuilegiorum facta Caputinis generaliter.* 406. *Specialiter.*
 407. *Communicatio Priuilegiorum cum Societate IESV.*
 408. *Communicatio Priuilegiorum specialis.*
 409. *Eius limitatio prima.* 410. *Secunda.* 411. *Tertia.*
 41. *Communicatio Indulgentiarum.* 413. *Specifica Ord. Min.*
 414. *Priuilegiorum interpretatio.* 415. *Restriçta Prælati.*
 416. *Priuilegiorum in Ordine nostro Moderatio.*
 417. *Priuilegiorum Reuocatio.* 418. *Vsus.*
 419. *Oracula viuæ voci.* 420. *Eorum Reuocatio.*
 399. Pri-